CICERO
Frankreich, Ende 12. Jh. Seite 30v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26366
Copyright: Admont, Benediktinerstift



de templo deduxit. Arcersitur maiestatis. Intentio est. Maie
statem minuisti. quod tribunum plebis de templo deduxisti. De
pulsio est. Non minui maiestatem. Questio est maiestatem ne mi
nuerit. Ratio. Infilium enim. quem habebam potestate ea usus
sum. Rationis infirmatio. At tamen qui patria potestate hic est
priuata quadam tribunitiam potestatem. hoc est populi potesta
tem infirmat. minuis his maiestatem. Iudicatio est minuat
ne is maiestatem. qui in tribunitiam potestatem patria potesta
te utatur. Ad hanc iudicationem argumentationes omnes affer
ri oportebit. Ac neque forte arbitretur nos non intelligere. aliamque
constitutionem incidere in hanc causam. eam nos partem solam sumi
mus. in qua precepta nobis danda sunt. Omnibus autem partibus hoc in libro
explicatis. qui uis omni in causa si diligenter attendet omnes
uidebit constitutiones. et earum partes. et controuersias. si quae
forte in eas incident. Nam de omnibus perscribemus. Primus igitur ac
cusatoris locus est. eius nominis cuius de ui quaeritur. breuis et aperta.
et ex opinione hominum diffinitio. hic modo. Maiestatem mi
nuere est. de dignitate. aut amplitudine. aut potestate
populi. aut eorum quibus potestatem populus dedit. aliquid derogare.
Hic si breuiter expositum. pluribus uerbis est et rationibus confir
mandum. et ita esse. ut descripseris ostendendum. Postea ad id
quod diffinieris. factum eius qui accusabitur adiungere oportebit. et
ex eo quod ostendis esse. uerbi causa. ~~mune~~ minuere maiestatem. docere
aduersarium maiestatem minuisse. Hunc totum locum communi
loco confirmare. per quem ipsius facti atrocitas. aut indignitas. aut
omnino culpa cum indignatione augeatur. Post erit infirmanda
aduersariorum descriptio. Ea autem infirmabitur. si falsa demon
strabitur. hoc ex opinione hominum sumetur. cum quem admodum.
et quibus in rebus homines in consuetudine scribendi. aut
sermocinandi. eo uerbo uti soleant. considerabitur. Item infir
mabitur. si turpis aut si inutilis esse. ostendetur eius descriptionis ap
probatio. et si. quae incommoda consecutura sint eo concesso osten
detur. Id autem ex honestatis et ex utilitatis partibus sumetur. de